RERVM IVDAICARVM MEMORABILIORVM

ab exitu ex ÆGYPTO, ad *ultimum usque Hierosolymitanum* EXCIDIVM,

LIBER PRIMVS.

Ad illustrissimum *Carolum* *MAGNÆ BRITANNIÆ* PRINCIPEM.

Authore ALEXANDRO ROSSÆO *Aberdonense*.

Idem scripsit, Virgilius Euangelizans.

PSAL. CXV.

Illa quater denis mihi natio restitit annis:
Dixique semper interim, hæc gens desipit,
Et mea securas transmittit dicta per aures.
Irâ ergo iusta in pertinaces concitus
Iuravi, terræ gens hæc ingrata beatæ
promissa amicis commoda haud carpet meis.

LONDINI,
Excudebat EDWARDVS GRIFFIN impensis *Francisci Constable*, 1617.

e



ILLVSTRISSIMO D. CAROLO *Magnæ Britanniæ* PRINCIPI.



N, Princeps illuſtriſſime, hic meus fœtus πρεσβυτίτοκος, non apud Bœotiæ Pierides, ſed Southamptoniæ potiùs Nereïdes natus, C. T. in ipſo limine ſalutat: inque tuæ clientelæ umbra, tanquam in aſylo tutiſſimo, placidè quieſcit: præſertim quum ea ſis erga omnes qui literas colunt humanitate, ut eos ſuaviſſima tui nominis numiniſque aura recreare nunquam gravatus ſis: paternæ ſanè virtutis

exemplar redivivum; qui bonarum literarum studia ab ipsis incunabulis fovenda & tuenda suscepit, ut ab omnibus posteris veneretur & ametur: cujus laudes nulla unquam tacitura est ætas, Sol inquieto lucis orbe dum diem, dum Luna noctem illuminet. Deinde quum in hoc studiorum genere (poësin intelligo) non infoeliciter verseris; habeasque apud te viros doctrinâ illustres, qui tibi sapientiæ & scientiæ viam præeant, imprimis *Moravium* de Musarum studijs optimè meritum, qui in ipso Helicone videtur nutritus, & Musas habuisse obstetrices: virum profectò dignum, cujus imaginem lambant hederæ sequaces. His rationibus inductus, hæc ingenij mei foetura ad te non potuit non redire. Neque opus tanto Principe dignius excogitare potui, quàm res gestas Iudæorum memorabiliores Romano stylo complecti: in quo immensam Dei bonitatem & curam plus quàm paternam, in gente illa defendenda, fovenda, & propaganda: hujusque populi abominanda scelera, ipsum Deum & Prophetas, Christum & Apostolos, contemnendo, persequendo,

crudeliter

crudeliter necando: tandemque iuſtiſſimum Dei iudicium, hos recutitos canes funditùs delendo, contemplari & admirari licet. Quod opus licèt ſimul & ſemel (alijs impeditus negotijs) ad umbelicum perducere non potui; favente tamen divini numinis auxilio, ſuis numeris abſolutum, licèt Momo non ſatisfacturum, in lucem tandem prodibit. Tu intereà (Princeps illuſtriſſime) hanc mearum lucubrationum partem, tanquam devoti animi erga te μνημόσυνον boni conſule; & nomen tuum in hujus libelli frontiſpicio conſpici ne graveris. Hic autem non πήμματα ἄπλικα, vel opus quod τὸν λύχνον ὄζει, tibi polliceor; ne ſimias imitari videar, quæ ſuos fœtus quamvis deformes pro formoſiſſimis admirantur: ſed hujuſmodi mittimus munuſculum, quale Ruſticus ille qui ARTAXERXI magno Perſarum Regi pomum obtulit, quod æquo animo accepiſſe ferunt, quia quæ maximè pretioſa habuit dono dedit. Quod ſi tum quoque hos meos qualeſcunque labores, patrocinij & authoritatis tuæ ſcuto tegas, ſummum mei voti faſtigium conſequutus ero.

Deus Opt. Max. C. T. quàm diutissimè seruet incolumem, & ut Poetæ verbis utar:

Serus in cœlum redeas, diúque
Lætus intersis populo Britanno:
Neve te nostris vitijs iniquum
ocyor aura
Tollat, &c.

Celsitudini tuæ omnibus

officijs devinctissimus,

ALEXANDER ROSSE.



IN RES GESTAS IUDÆORUM

PRAEFATIO.



Cce repentino trepidant horrenda tumultu
Aonij delubra Dei, doctaque sorores
Conueniunt, sacrâ redemita tempora lauro:
Quas Charitum generosa trias nymphæq; sequuntur,
Libantes teneris heliconia mella labellis.
Et manibus noua plectra tenent, celebrare parata
Res gestas Iudæa tuas, magnumque tonantem
Romano resonare modo, venerandaque seclis
Pandere venturis validæ miracula dextra:
Quæ toties temsit malè grata mente rebellis
Abrami soboles. Tu qui rutilantis olympi
Astra regis, cuius vultu stupefacta Barathri

Regna

Regna tremunt, montesque caua compage panescunt.
Qui nutu validi compescis flamina venti,
Quiq; regis vitreo tot monstra natantia ponto:
Sancte parens, humilem ne dedignare precantem
Præsidio fulcire tuo, mentique, animoque,
Infundas verum vero de lumine lumen.
Da genitor tua facta canam, benefactaq; cunctis
Ore feram, iustamq; iram, calidumq; furorem,
Et pandam æternæ miracla ingentia dextræ:
Quæ quondam bonitate tuâ videre tot annos
Isacidæ, donec iusta inflammatus ab ira,
Extinxti ingratam miserando funere gentem.
Tu quoque pande viam sacras quæ ducat in vmbras
Musarum, & Lycij delubra horrentia Phœbi:
Nunc liceat Cirram, & dulces Permessidos vndas,
Nympharumq; choros, gelidosq; accedere lucos,
Et iuga laurigeris heliconia sacra Camœnis.
Clarius haud vnquam vates cecinere priores
Diuinæ bonitatis opus, quam respuit olim
Iudææ populus, Graiæ non docta Camœnæ
Fistula commemorat, Latij nec Apollo poeta
Dignius Aonio carmen luctauit in antro.
Dicite Castalides, magnum quæ causa Tonantem
Impulit Abramidas patrio depellere regno,
Et sacra externis submittere sceptra Tyrannis:
Dilecti quondam populi; quorum inclyta gesta
Cognita sunt cunctis radijs quos Phœbus eois
Lustrat, & occiduos quibus vngit in æquore currus:

Quiq; Austrum Boreamq; colunt, quos rector olympi
Dotibus ornauit tantis, totiesque saluti
Prospexit, toties defendit ab hostibus armis,
Et quibus ingentes peperit virtute triumphos.
Scilicet hic populus male sano corde rebellis,
Contemsitque Deum patrium, & miracula tanta
Obliti Pharijs quæ quondam vidit in oris,
Proh facinus falsum coluit simulachra deorum!
Sancte parens, facilisque Deus, rerumque creator,
Sideribus qui templa poli, qui frugibus agros
Pingis, & herbiferos conuestis gramine campos:
An non cuncta tuis gaudent parere volenter
Iussibus immensi quæ claudit machina mundi?
Gens humana tamen, quam supra animantia cuncta
Constituis dominum, sed nunc animantibus ipsis
Inferior, sacras leges, præceptaque sancta
Despicit, & magni te temnit numen olympi.
Nonne æstas fundit fruges, ver floribus hortos
Ornat, & Autumnus complet læta arua racemis?
Vestit hyems celsos montes, camposque pruinis:
Imperioque tuo feruentes temperat æstus
Frigore nunc Boreas, madidis nunc euolat alis
Auster, & arentes humectat flatibus agros.
Cumque voles rapidæ lambunt maris astra procellæ,
Teque iubente feræ cessat furor horridus vndæ:
Tu solem lunamque regis, tu sidera cœli
Dinumeras, parentque tibi, tibi seruit olympi
Cœtus, & inferni famulantur regna Barathri.

Sic

Sic demum quodcunque solū, quodcunque profundus
Continet Oceanus, tibi rerum summe Creator
Parent, & totis studijs tua numina sacra
Laudant, & valida celebrant facta inclyta dextra.
Nullaque vel toto viuit gens barbara mundo,
Quam latet æterni diuina potentia sceptri:
Seu rubeant tepidi flammis propioribus Austri,
Seu rigeant gelida campis glacialibus Vrsæ:
Siue colant terras quâ Phœbus surgit ab vndis,
Seu qua diuersas abiens se condit in vndas.
Non tamen Abrami soboles, cui tanta tulisti
Præmia, vt Isacidas venerata est vltima tellus,
Et quorum externi metuerunt sceptra Monarchæ:
Te rerum agnouit dominum, sed semper iniqua
Fecit, & infandas scelerauit sanguine dextras.
O domus Isacidum, gens ô male grata tonanti!
En quoties manifesta tibi monstrauit amoris
Signa Deus, quoties facilem tibi præbuit aurem,
Auxiliumque tulit duro in discrimine, quando
Te peterent validi truculenta mente Tyranni?
Omnia Niliacis pro te miracula terris
Edidit, & Pharium submersit gurgite regem:
Diffidit & rubeas pro te Deus æquoris vndas,
Duxit in hostilem per cuncta pericula terram,
Quam tibi promisit, priscisque parentibus olim
Hanc vobis propriam fore cuncta in secula sedem.
Nonne tuos placidè deserta per auia gressus
Direxit, nubemque die, flammamque coruscam

Nocte

Nocte dedit, penitus dum regna inimica subires?
Nonne sitim liquidis genitor compescuit undis,
Frigida cùm solidi patefecit flumina saxi?
Cùm te dira fames premeret, nonne horrea cœli
Pandit, & ambrosium demisit ab æthere panem?
Quid memorem quoties hostem virtute rebellem
Strauit humi, gentemque suam formidine mortis
Sustulit afflictam, & rapido reuocauit ab orco?
Cùm tibi munificus proprijs viduata colonis
Arua parens habitanda dedit, quot magna patrauit
Signa Chananais, mirantibus hostibus, oris?
Constitit in medio Phœbus spectator olympo,
Et premit ignivomos populo spectante iugales,
Vt cunctos valido deleres marte tyrannos.
Ad strepitum litui cecidêre cacumina muri,
Atque ruunt hostes in mutua bella rebelles,
Vt domus Abramidum Madianos incolat agros.
Quid referam quoties per sacros magna Prophetas
Signa salutiferæ dedit & miracula dextræ?
Qui modo flammivomos deducunt ætheris ignes,
Et modo præcipites diffindunt fluminis undas:
Iamque procellosos promunt è nubibus imbres,
Iam cient madido furibunda tonitrua cœlo.
Nunc precibus pluvias sistunt, nunc flumine ferrum
Innatat, & tactu defuncta cadauera vivunt:
Et retrò auricomi vertunt prece lampada Phœbi,
Altaque flammifero conscendunt sidera curru.
Scilicet has Dominus voluit monstrare verendæ

Maiestatis

Maieſtatis opes, magna & miracula dextræ,
Ut reuocet populum cæca caligine merſum,
Ad veræ virtutis iter, ſenſimque doceret
Se ſolum mundi dominum, qui condidit alti
Cærula templa poli, nitidis radiantia ſtellis,
Et qui tartarei premit horrida clauſtra barathri,
Quique ſolum cœlumque regit, pontique furorem
Frænat, & æterno cùm vult facit omnia nutu,
Vt ſolum agnoſcant, ſolum venerentur, amentque,
Cunctaque falſorum fugiant ſimulachra deorum.
Non tamen agnouit verum gens improba numen,
Nec meminit tantorum operum, nec pectore grato
Condidit ingentis benefacta priora Tonantis.
Sed finxit ſimulachra ſuæ ludibria dextræ,
Et coluit ſculptum vero pro numine numen.
O pudor, ante bouem procumbit turpiter, atque
Pronis excoctum veneratur vultibus aurum.
Omni flagitio dextras ſcelerauit, & aras
Dæmonibus ſacras, conſperſit ſanguine prolis:
Externos coluitque deos, & numina ſculpta,
Innocuiſque ſacros fœdauit cædibus agros.
Hinc pater æthereus iuſta inflammatus ab ira,
Contemſit meritò populum, gentemque rebellem
Expulit ex patria, & peregrinas miſit in oras,
Sanctaque ſanguineis dedit arua tenenda tyrannis.
Non tamen aſſiduè Deus implacabilis iræ
Indulſit, ſed te crudeli compede vinctam
Soluit, & antiquâ te libertate beauit:

Nam

Nam te captiuam externis Babylonis in oris
Eripuit, miseroque tuo iuga ferrea collo
Protinus excussit, teque in tua regna reduxit.
Et postquam tibi tanta dedit mirandaque dona,
Æternam rutilo sobolem demisit olympo,
Qui proprio ingratam redimat te sanguine gentem.
O quoties miranda tuis memorandaque terris
Signa dedit, quoties, quot, quanta pericula, clades,
Exilium, inuidiam, ludibria, crimina, curas,
Atque sitim, tristemque famem, durosque labores
Pro te passus erat? gens ô non digna fauore!
Vtq; auis alarum teneros munimine pullos
Defendit, tutosque fouet, plumisque recondit:
Sic super hos voluit proprias expandere pennas
Præsidij, gentemque suam sub nocte iacentem
Amplecti, & radijs densas lustrare tenebras.
Sed gens (heu) tanti contemtrix muneris ipsum
Sæuijt in Christum dominum, charosque ministros:
Nec vacuam insidijs lucem noctemque relinquunt,
Dum sacro miseras scelerassent sanguine dextras.
Tum penitus terram infandam populumque reliquit
Hostibus in prædam, Solymam templumque superbũ,
Vnde Dei in totum splendebat gloria mundum,
Funditus euertit: cuncti iuuenesque senesque
Ense simul periêre: iacet diadema Sionis,
Sceptraque Iudaæ, multos venerata per annos:
Nunc cineres vbi splendor erat nitidissimus orbis,
Sanctaque nunc populis calcatur terra prophanis.

Nunc

Nunc domus Isacidum totum dispersa per orbem,
Errat ad extremos Indos, vaga flumina Nili
Potat, ad audaces à Gadibus vsque Britannos
Currit, & ignotas perlustrant æquoris oras,
Incerti quo fata ferant, vbi sistere detur.
Propterea horrescant omnes, quibus vlla salutis
Cura manet, iustum peccato accendere numen,
Et pedibus sacrum Christi calcare cruorem.
Non illi horrendam dextram rapidumque furorem
Numinis euadent, quicunque immanibus audent
Flagitijs violare Deum, sanctosque ministros
Temnere, & à sacris diuertere vocibus aures.
Namque parens mundi gentes vrbesque profanas
Funditus euellet, neque facta impunè malorum
Impia grassari semper sinet: ille superba
Subuertit Babylonis opus, Memphisque rebellis
Pyramides, claramq; Ephesũ, bimaremq; Corinthũ:
Atque omnes validæ senserunt robora dextræ
Gentes quæ meritam prouocarunt numinis iram.
Scit ferus hoc Persus, vastataque Græcia nouit,
Hoc Lybiæ pars magna feræ, virtute tonantis
Diruta testatur, testis Carthago superba,
Romaque Cæsarijs quondam celebrata triumphis.
Non tamen omnipotens vnquam bonitate perenni
Destituet iustos, clypeo sed proteget omnes
Qui sua ritè pio venerantur numina cultu.
Siue domi lateant, seu sub puro æthere degant,
Seu pacem seu bella colant, seu littore tandem

Viuant,

Viuant, aut trepida sulcent vada salsa carina.
Dissiliantq́; licèt solida fundamina terræ,
Pandat hians fauces barathrum, stellataq́; cœli
Culmina subsidant, totum mare fluctibus orbem
Obruat, & liquidi transcendat mœnia mundi:
Ille tamen securus erit, qui numen olympi
Prosequitur vero cultu, placideq́; sub vmbra
Præsidij deget domini, qui more volucris
Hunc super expandens defendet ab hostibus alas.



RERVM IVDAICARVM

Liber primus.



Ens antiqua fuit, Pharij tenuere tyranni,
Ægyptus, belloque potens, & mole ſuperba
Pyramidum, nullis non decantata Poetis:
Terra ſuis contenta bonis, quam Sirius æſtu
Non vrit, torretue feræ violentia brumæ:
Imbriferi ſecura poli, nam tuta procellas
Temnit, nec validi metuit ſpiramina venti.
Hîc nunquam deſæuit hyas, pluvioſus Orion
Deſcendit rarò, rarò Thaumantia proles
Conſpicitur variâ depingens nubila luce.

Est tellus sine nube ferax, nam læta quotannis
Arua rigant tumidi septemflua flumina Nili.
Hîc sedes posuere suas diuinitus acti
Abramidæ, quando toto regnaret in orbe
Dira fames, & sola Ceres remaneret in agris
Diuitis Ægypti, proles dilecta Iacobi,
Quam pater omniuoræ laniatum dentibus vrsæ
Credidit, hic Pharij tenet en molimina sceptri:
Ad quem suppliciter victus penuria fratres
Ire facit, nummisque petunt cerealia dona,
Ignari quod frater erat, quem vestibus orbum
Præcipitem dudum in cæcam misere cauernam.
Ast vbi Iosephus fratres conspexit egenos,
Rem vultu simulans, quærit nomenq; genusq;,
Vnde adsint, quæ causa viæ, superentne parentes,
Multaque præterea rimatur: non tamen ille
Temperat a fletu, at dulci perculsus amore,
Humectat tristem lachrymarum flumine vultum.
Sic totas vario luces sermone trahebat,
Multa mouens animo, rogitat de fratre minore
Quem iubet adduci, tunc se patefecit amicum
Fratribus & fratrem: confectum ætate parentem
Imperat huc ferri, famulosque omnesque penates,
Has habitare domus, proprias hîc ponere sedes
Hortatur, rapidus quâ spumat diuite Nilus
Flumine: tunc iussis genitor parere parabat
Dilecti prolis, nati famulique sequuntur,
Ad Phariam veniunt directo tramite terram.

Hunc vbi conspexit venientem filius, ora
Fletibus irrorat, palmas vtrasque tetendit,
Et patris charo circundat brachia collo.
Sic cunctos fratres dulci complexus amore est,
Oblitus scelerum & spoliati corporis, iram
Leuit, & placido contexit crimina vultu.
Muneribusq; omnes cumulat, sedemq; tenendam
Hic dedit, atq; statim largos superaddit honores:
Tandem sic læta gens Hæbri stirpe vigebat,
Vt Pelusiacas compleuerit aduena terras.
Sed Rex fortunæ læta rebusque secundis
Invidet Abramidûm, sanctamq; revellere gentem
Stirpitus intendit, iubet omnes pendere pœnas,
Vt mergant rapidas natorum membra sub vndas,
Atque humeris gravidi portarent pondera luti.
His populus pœnis tantoque labore subactus
Ingemuit, lachrymisque Deum votisque fatigat,
Vt tandem auxilio pressis succurrat amicis.
Audijt omnipotens gemitus tristesque querelas
Abramidûm, regisque iugum miseratus iniquum est:
Tum precibus motus, rutili tentoria cœli
Linquit, & omniparum terræ descendit in orbem.
Interea Moyses genitus de sanguine Levi
(Regia quem pridem limosis filia iuncis
Repperit innantem) Ægyptum truncauit, & ipsi
Conscius ex aula fugit, solusq; sedebat
Pascens lanigeros vmbrosis montibus agnos.
Ecce rubum rapido flagrantem protinus igne

 Conspicit,

Conspicit, & densos diffundere lumina sentes,
Non tamen absumi, nam circum innoxius ardet
Mulciber, & validis frænatur flamma catenis.
Constitit attonitus, propiusque accedere feruet,
Prodigij horrendi causas tentare latentes.
Iamque propinquabat luco, subitoq; per auras
Reddita vox fertur, fatur quæ talia Moysi:
Quò Moyses, quò tendis iter? nunc comprime gressũ,
Nam sacer hic locus est, soleas prius exue plantis,
Quam tentes calcare solum. Deus ecce parentum
Ille ego, qui sacro iunxi mihi fœdere gentem
Isacidûm, & sanctè promisi patribus olim,
Lacte solum fluitans, & puri mellis abundans.
Audiui gemitus populi, miserasq; querelas:
Nec lachrymæ, neque me duri latuere labores
Isacidûm, vel iniqua feri mandata tyranni.
Vade ergo & regem supplex affare superbum,
Sic dixit Dominus qui cœlum & sidera torquet,
Qui fuit, est, & erit, sobolem demitte Iacobi,
Vt mea legitimis veneretur numina sacris.
Non tamen ille suis populum demittet ab oris,
Immensæ donec cernat miracula dextræ,
Ostendamq; meum per facta illustria numen.
Sed tu ne dubites, manibus nunc excute virgam;
Sic ait, & subitò reptabat lubricus anguis,
Qui modo virga fuit, flexum se voluit in orbem:
Igne rubent oculi, suffusa est lingua veneno,
Tergaque cæruleis variantur squamea gemmis.

Obstupuit

Obstupuit visu exanguis, gelidusque per ima
Peruolat ossa tremor, Moysen tunc tangere monstrũ
Iussit, & immanem manibus comprendere caudam.
Haud secus ac iussus fecit, dextrâque draconem
Corripit, inque suam reuoluta est virga figuram.
Tunc aliud monstrum vidit multoq́ tremendum,
Quum dextram tulit in gremium, nam dextera tota
Apparuit gelidas superans candore pruinas.
His tandem signis diuino numine fretus,
Ire parat, regiq́ refert mandata Tonantis.
Dumq́ iter inceptum peragit, lucoq́ propinquat,
Hic illi occurrit germanus & oscula figit:
Et simul ad regem tendunt, mandataq́ magni
Numinis ostendunt, sed nullis ille mouetur
Mandatis, populumve suis demittit ab oris.
Quin tentat versare dolos, causasque morandi
Nectere, quò plures impellat adire labores
Abramidas, miseroque premat sub compede duri
Seruitij, & pensis grauioribus ossa fatiget.
Tum pater omnipotens iusta inflammatus ab ira,
Decreuit veneranda sua miracula dextra
Edere, & ex Pharijs populum vi ducere terris.
Ergo terrificis obduxit cuncta tenebris,
Et tepido vitreos rubefecit sanguine riuos:
Squammigeri periere chori, lapidosa procella
Grandinis infremuit, tonitrus fragor omnia cœli
Templa quatit, pauidæ tremuere cacumina terræ.
Grando racemiferas nudauit germine vites,

Et validos misera prostrauit clade iuvencos.
Incubuere agris bruchi, diræque locustæ
Noxia vernantes spoliant examina fruges.
Horror vbique fuit, sæuit furor vndique magni
Numinis: invadunt armati corpora vermes,
Ipsaque stagnicolis sordescit regia ranis.
Inq; hominum pecudumq; genus mors improba tandē
Sævijt, & gelidâ corrupit corpora tabe.
At quum nec tantis commota est regia Memphis
Cladibus, aut penitus timuit miracla tonantis:
Nec sobolem Abrami voluit demittere, donec
Omnipotens merita pater est succensus ab ira.
Propterea infandum concepit corde furorem,
Primaq; longiflui prostrauit pignora Nili.
Cuncta fremunt gemitu, misero sonat aula tumultu,
Et mœsti amissos fœtus planxere parentes.
Tum domus Ægypti tantis perterrita monstris,
Decreuit patrijs populum demittere ab oris.
Rex iubet adduci Moysen, rogat ocius omnes
Hebræos, vt hes Pharias terramque relinquant.
Ergo accingebant sese, lætique parabant
Parere imperio, iuvat indulgere labori,
Festinare fugam, cultasque relinquere terras.
Iamque duces populus sequebatur passibus æquis,
Et placidè carpebat iter, noctesque diesque
Ibant Isacidæ deserta per avia tuti:
Luce præit nubes, per opacas nocte tenebras
Prævia purpureum præbebat flammula lumen.

Nunc

Nunc populus carpebat iter, littuſque tenebat
Quo ſpumat refugus rubicundo vortice Nereus,
Et ſubito à tergo premit inſidioſa virorum
Copia, falcigerenſque acies, crepitanſque quadrigis,
Perfidus ipſe Pharo ſequitur, mortemque minatur.
Hic nulla patuere viæ qua tramite tuto
Abramidæ poſſunt inſtantem euadere regem:
A facie pelagus, dextra lævaque minantes
In cœlos aditum prohibebant vndique montes.
Heu quid agant? quî nunc evadent arma tyranni
Iſacidæ, quove ire parant, hinc montibus, illinc
Hoſtibus obſeſſi, atque obſtantibus æquoris vndis?
At pater ætherij cui paret machina mundi,
Quique regit vitreis habitantes ſedibus vdas
Nereides, Phorcique greges, Nymphaſque fugaces
Omnipotens, placidas aduertit queſtibus aures,
Et ſimul ac virgâ tetigit mare legifer, ecce
Regna proceloſi trepidarunt humida Glauci,
Tum liquidæ ceſſere vndæ, ſuſpenſaque fluctuum
Hinc atque hinc moles, adituſque per æquora tutus
In medijs patefactus aquis, gentemque beatam
Per ſiccas placide dominus traduxit arenas.
Inſequitur rex ipſe Pharo, Memphiſque iuventus:
Tum clauſtris laxantur aquæ, fluctuque refuſo
Abſorpſit Pharias vnda indignata quadrigas.
At verò Iſacidæ magnum celebrare tonantem
Incipiunt, plauſuque fremunt, pede plaudere terram
Gaudent, & reſonis demulcent cantibus auras.

Tympana

Tympana cuncta crepunt, retonant clamore secundo
Littora, sollicitantque fides cytharasque canoras
Plectro, & dulcisonæ pulsantur pollice chordæ.
Sic læti deserta Arabum, atq; horrentia syluis
Arua simul subeunt, sitibundaque semper iniquo
Sole iuga, & steriles saxosis collibus agros.
Tres sine fonte dies errant in montibus altis,
Vix tandem venere locos vbi fundit amaras
Fundus aquas, rursus cùm tentauere querelis
Numen, & assiduis petierunt vocibus vndas.
Audijt vndipotens, viridemq́; ex arbore ramum
Iussit ductorem conuellere, protinus ille
Austeras tenui percussit arundine limphas.
Tunc vbi sacratam senserunt flumina virgam,
Dulcescunt, gratum populo præbentia potum.
Non tamen Authorem vel grata mente rebelles
Agnouere Deum: sed rursus questibus illum
Sollicitant miseris, verbisq́; procacibus audent
Poscere sacrilegæ conuiuia splendida mensæ.
At pater omnipotens accensa mente loquaces
Audijt, & grauidas cœlesti semine nubes
Ambrosiæ largos super agmina soluit in imbres.
Vespere sic sero diuina potentia sese
Monstrauit populo, subitoque sonantibus alis
Pennigerum madido mittit Deus agmen ab Austro.
Castra super glomerantur aues, populusque repente
Irruit, & grata complet tentoria præda.
Mox tamen optatis satiati carnibus, ora

Soluunt,

Solvunt, & querulis rerum tentare parentem
Vocibus incipiunt, verbiſque minacibus vrgent
Moyſen, quod nullæ fuerant ſitientibus vndæ.
Tum ſaxum ſacra iuſſit contingere virga
Legiferum Deus, vt laxatis verbere venis
Dumoſi ſilicis laticum concederet vſum.
Haud ſecus ac iuſſus fecit, ſubitoque pateſcunt
Viſcera prærupti lapidis, populoque roganti
Limpida largifluis fluxerunt flumina riuis.
Ecce autem ſævus magna comitante caterua
Hoſtis adeſt Amalec, populumque ſonantibus armis
Opprimit incautum, cuncti clamore tremendo
Arma vocant, rapit ille haſtas, petit ille ſecures:
Hic leues clypeos, hic fido accingitur enſe:
Hic capiti galeam trepidus vocat, ille rigentem
Loricam induitur, cunctique furore Gradiui
Infremuere, pedum pulſu tremit excita tellus.
Qualis quum tremuli tranquilla ſilentia ponti
Arrident lætis nautis, cœloque ſereno
Sulcant pontivaga Neptunia regna carina.
Mox tamen inſequitur magno ſtridore maligna
Tempeſtas ſine more furens, vaſtoque fragore
Turbida turba ruit, nigreſcunt æquora, curuam
Verberat vnda ratem, claſſis modo ſurgit ad aſtra,
Et modo tartarei ſubſidit ad ima Barathri.
Tum ſubito cuncti trepida formidine nautæ
Concurrunt, pars vela legit, pars tranſtra pererrat:
Hic ſalſas exhaurit aquas, hic ſcandere funes

Nititur

Nititur horrisonos, clavum regit ipse magister:
Sic omnes lacera fervent succurrere classi.
Haud secus Isacidæ contra hostes obvia quæque
Corripiunt, conferre manum quoque cominus ardent.
Direxere acies: Moyses in vertice montis
Stat tendens duplices ad lucida sidera palmas.
Dum lassam extendit dextram, victoria cessit
Abramidis, dum dextra cadit, tum protinus arma
Vertit in Abramidas fugientes feruidus hostis.
Brachia sed tandem geminis sunt fulta columnis,
Dum cunctos meritis prosternunt cædibus hostes.
His tandem exactis, cuncti de rege profano
Ampla ferunt spolia, & læti per inhospita saxa
Ibant ad rigida deserta horrentia Sinæ.
Et iam tres totos compleuit Cynthia menses
Ex quo Niliacis populus migrauit ab oris.
Hic prius exuvias mundant fluvialibus vndis,
Quàm tentent sacrum pedibus contingere montem:
Tum dominus populo magno terrore tremendus
Apparuit, tremuere sacræ fundamina Sinæ.
Hic exauditi tonitrus, strepitusque tubarum
Horrendus, visusq; procul de vertice montis
Fumus ater densis cœlum obfuscare tenebris.
Tum præcepta Deus populo præsente verendâ
Voce dedit, tremula nutarunt culmina Sinæ,
Ipsaque terrificis horrent iuga feruida flammis.
Postea legiferum ex medio Deus agmine Moysen
Evocat ad montem, geminis præcepta columnis

Æternâ

Æterna signata manu dedit ipse ministro
Nube caua septus, Moyses ad collis acumen
Contendit gressum, domini nam luminis instar
Gloria nubiferum supereminet aurea montem.
Ille quater denas excelso in vertice noctes
Permansit, totidemq́ dies, nec cernitur vllis.
Interea dum ductor abest, en turpiter ante
Procumbunt simulachra bouis, sacrisque colebant
O pudor! excoctum calido fornace metallum.
Sed pius vt primum Moyses immania vidit
Flagitia, & fictam venerari à plebe iuvencam,
En subito furibundus adest de monte, columnasq́
Abijcit, & rapidum distringit turbidus ensem:
In medium ruit ipse chorum, minuit que metallum
In cineres; alto genitos de sanguine Leui
Conuocat, hi rutilis comparent ocius armis,
Et tria vulnifico prosternunt millia ferro.
Ast vbi iam meritam pœnis satiauerat iram
Progenies Leui, Moyses in vertice montis
Extendit geminas palmas, precibusque tonantem
Inuocat, vt pacti prorsus non immemor esset
Fœderis, ast propriam per rura hostilia gentem
Ducat in optatas terras: Regnator olympi
Annuit, & populum ad Chananaia regna rebellem
Ducunt aligeri per inhospita saxa ministri.
Tunc domino populus magno tentoria luxu
Extruit, & sacram monumentum fœderis arcam,
Maiestatis opus, de qua veneranda Tonantis

Gloria,

Gloria, & in cunctas splendet praesentia terras,
Auratas addunt pateras, atque aurea cudunt
Pocula, lichnichum ex auro: caelataque in auro
Cuncta nitent, omnis rutilo micat annulus auro.
Aurea magnificam circundat fimbria mensem.
Praeterea vestes pretioso murice tinctas,
Hirsutasque addunt pelles, aulaeaque mirâ
Arte laborata, atque super velamine summo
Vultibus aduersis, & passis vndique pennis,
Aliger aligerum complectitur aureus aureum.
Quid geminas aras referam, & vigilantia semper
Lumina, & aeratum aeratâ cum pelve lauacrum?
Quid mirrae lachrymas, & suaueolentia thura
Commemorem, & laetos Casiae fragrantis odores?
Et sacra in sacros stillata vnguenta capillos
Pontificum? quorum varius radiabat amictus
Purpurâ, & ex humeris aurata monilia sanctis
Dependent, nitidis fulget decorata lapillis
Thoraca, & rutilum gemmis intermicat aurum.

Libri primi finis.
